

datum, non est immorandum, sed Canonici post signum datum, etiam non expectato Episcopo, Officium inchoare poterunt. n. 505 ad 5 die 4. Julii 1615.

Condicta hora cum Episcopo eique intimata, ut, si velit, possit accedere, et dato signo, si Episcopus inchoatis horis advenerit ad divina Officia, non tenentur omnes Canonici illi obviam procedere, sed quatuor tantum et quinque de Capitulo, ita ut major pars Capituli vel Canonorum remaneat in choro ad horas proseguendas. n. 688 die 12. Junii 1627.

Episcopus tenetur praenuntiare Canonici per diem ante, quando intendit celebrare in pontificalibus. n. 1008 ad 3 die 9. Decb. 1634.

Ad dubium: An Archiepiscopus possit inhibere Canonici, qui inchoant divina Officia ante ipsius adventum, et perveniente post illa inchoata teneantur Canonici repetere? S. C. resp.: *Negative*, et dentur decreta. n. 3026 ad 8 die 24. Julii 1683.

Horam certam inchoandorum Officiorum antea cum Episcopo consultantam et stabiliendam esse et intra eam non esse inchoanda Officia nisi expectato Episcopo; ultra ultimum vero signum datum non debere Episcopum immorari, sed post illud posse per Canonicos Officium, etiam non expectato Episcopo, inchoari. n. 1456 die 11. Julii 1643.

Canonici missas vel vespas celebraturi, paulo antequam Episcopus in chorum veniat, debent sumere paramenta eumque venientem ad loca sua expectare. n. 1494 ad 2 die 16. Apr. 1644.

Canonicos debere expectare adventum Archiepiscopi nec posse inchoare solemniam, quibus ipse interesse velit, si adhuc non pervenerit, sed Archiepiscopum oportere esse discretum, ne alias urgeat necessitas consulendi gravi

Canonorum incommodo. n. 1874 die 16. Mart. 1658; n. 1903 ad 1 die 13. Julii 1658; n. 4103 ad 4 die 10. Decb. 1740.

Ad dubium: An Episcopus teneatur reperiri in Ecclesia hora congrua pro assistendo missae conv. et an Celebrans expectare debeat ultra dictam horam? S. C. resp.: Quoad primam partem: Episcopum debere opportune accedere ad Ecclesiam hora constituta, quoad secundam satis provisum in prima. n. 4145 ad 4 die 20. Julii 1743.

b) Recitatio.

Episcopus, quando reperitur in aliquo Oppido suae Dioecesis in visitatione seu alia de causa, potest licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma rubricarum seu ex concessione S. C. et quod sint patroni seu titulares, in eisdem Oppidis recitatur, et sic praecepto de recitando Officio satisfacit. n. 1437 die 14. Mart. 1643.

Episcopo in actu Visitationis existenti non licet ob occupationes, quibus tunc temporis impeditur, Officium quod ex Breviario rom. simplex recitari debet, sub ritu duplici vel semiduplici recitare et loco Officii de Feria non potest aliud brevius persolvere, eo, quo magis rubricarum observantiam praesferre debet. n. 1452 die 13. Junii 1643.

Tam Archiepiscopus quam Canonici, qui sunt ligati Ecclesiae, etiam absentes tenentur recitare Officium juxta ritum Ecclesiarum, quibus sunt ligati. n. 2828 ad 3 die 10. Julii 1677.

26) Paramenta.

(Ubi induit ea?)

Vd.: *Diaconus et Subd. Episc.*; *Sandalia.*

Ad dubium: Utrum Episcopus tollerare possit quod Canonici Episcopum

Pontificalia exercentem non ad Altare majus, sed in Sacristia vestiant?

Emi. et Rmi. P. . . . respondendum duxerunt:

„Negative et servandas esse praescriptiones Caeremonialis Episcoporum“.

Atque ita S. R. C. rescribere rata est propositaque Dubia declarare. n. 5228 ad 2 die 29. Novb. 1856.

27) Praeeminentia.

a) In Ecclesia exempta.

Vd.: *Episcopus celebr. in Eccles. exempta.*

b) Extra suum Territorium.

Episcopo nullam jurisdictionem in aliquo oppido habenti praeminentias, quae debentur Episcopo proprio et alia similia, non convenire. n. 250 die 21. Aug. 1604.

28) Praecedentia.

Vd.: *Assistentes in Solio Pontificio; Episcopus titular.; Archiepiscopus titularis.*

Ordinem, characterem et titulum semper inhaerere personae Episcopi consecrati, quae numquam dimittit nec dimittere potest et ideo, licet administrationem Episcopatus quis dimittat, titulum et ordinem semper retinere et consequenter debere praecedere omnibus aliis Episcopis post ipsum electis et consecratis. n. 299 die 4. Mart. 1606.

Episcopum Dioecesanum in sua Ecclesia Cathedr. et Dioecesi in Consecrationibus et in omnibus aliis functionibus et actibus pontificalibus exercentis, praefendum esse omnibus aliis Archiepiscopis et Episcopis etiam promotione ipso Dioecesano anterioribus, *Metropolitano proprio tantum excepto*; licet alias Episcopus Dioecesanus teneatur Episcopos advenas et peregrinos in sua Dioecesi hono-

rare et ex urbanitate dexteram et locum digniorem eis cedere. n. 400 die 10. Jan. 1609.

Circa Praecedentiam inter Episcopos nullam aliam rationem esse habendam, nisi temporis electionis seu promotionis ad Episcopatum, ita, ut qui prius electus seu promotus et a Summo Pontifice in Consistorio propositus et confirmatus sit, debeat alteri cujuscunque dignitatis vel qualitatis postea electo, proposito et, ut supra confirmato, praecedere. Et hoc . . . inter omnes totius Orbis Episcopos servandum esse. n. 404 die 21. Mart. 1609.

Ad Archiepiscopum uti Archiepiscopum majoritate gradus supra Episcopum praecedentiam spectare. n. 1779 die 19. Jan. 1656.

Archiepiscopo titulari aequae ac de residentia praelationem et obsequia debere, ac propterea Archiepiscopum Suffraganeum Pragensem Oratorem caeteris Dignitatibus Archiepiscopali inferioribus ubique et in omnibus praefendum esse. n. 1857 die 1. Decb. 1657.

Episcopo titulari aequae ac de residentia praelationem et obsequia debere . . . ac propterea Episcopum Dionisiens., Suffragan. Leodiens., caeteris omnibus Dignitatibus Episcopali inferioribus ubique et in omnibus praefendum esse. n. 1859 die 1. Decb. 1657; n. 1903 die 13. Julii 1658.

Episcopo Ruremunden., Canonico Cathedralis Leodien., supra Archidiaconum, in ipsa civitate archidiaconalis jurisdictionis exercitium habentem, praecedentiam competere. n. 2039 die 28. Febr. 1660.

Ad petitionem Episcopi Vigevan. *Visitoris Hospitalis s. Matthaei*, non sub Ordinario Papiensi. sed immed. sub sede apost. existentis, S. C. declaravit: Quod in loco tertio debet praecedere Episcopus Dioecesanus, cum delegatus non sit universalis in tota

Dioecesi; ex urbanitate tamen potest Episcopus cedere. n. 2495 ad 2 dio 5. Oct. 1669.

In regno Aragonum consuetum est, ut Episcopi juxta antiquitatem eorum erectionis Episcopatum in comitiis praeeminentiam habeant. Episcopus Terul. supplicavit pro declaratione: an in aliis functionibus idem servari debeat vel potius tempus *consecrationis* sit attendendum? S. C. resp.: *Attendendum est tempus promotionis.* n. 2848 die 20. Novb. 1677.

Archiepiscopus Gnesnensis, Poloniae Primas, decrevit:

1. Episcopi, et simul Regni Senatores, quoties ad aliquam Praelaturam vel Canonicatum in Ecclesia nostra Metrop. possidere contigerit, omnes alios praecedant, primumque locum in choro ac processionibus nostrae Metrop. obtineant.

2. Post eosdem autem Episcopos Senatores Suffraganei nostri locales Archidioecesani, et quidem primo loco Gnesnensis dein Laviciensis in choro, stallo et processionibus in eadem Ecclesia aliis Episcopis titularibus praecedant.

3. Post Suffraganeos nostros locales Episcopi in partibus titulares et Canonicatus in nostra Metrop. possidentes pro dignitate suarum Praelaturarum sive juxta senium suorum canonicatum locum habeant.

4. Post Episcopos titulares Administrator gener. Archidioecesis praesentis pro tempore existens sedeat et praecedat. Quodsi autem idem Administrator gen. sit Episcopus Senator, ex tunc aliis Episcopis Senatoribus praefendus; si vero Episcopus tantum titularis, tunc immediate post Suffraganeum nostrum Laviciensem aliis Episcopis titularibus praebeat. Subsequenter reliqui Praelati et Canonici Metrop., Ordine pontificali non insigniti, juxta distinctionem Praelatu-

rarum sive senium canonicale stallum in choro et locum in processionibus obtineant.

Quae decreta probata sunt a S. R. C. sub n. 4408 die 12. Mart. 1783.

29) Privilegium altaris concedens.

Vd.: *Indulg. alt. priv.* (Episcopus etc.)

30) Processionem indicat.

Vd.: *Processio.*

31) Vestis.

Ad dubium: An Episcopi uti debeant vestibus violaceis ipsa die Annuntiationis in Quadrag. occurrente, licet festum transfertur; an eo die, ad quam hoc festum transfertur in Quadagesima? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, excepta tota hebdomada majori et fer. VI.; negative quoad secundam. n. 3809 ad 1 die 8. Junii 1709.

Cf.: *Episcopus* (habitus).

32) Regularis.

a) Cappa.

Regulares promotos ad Episcopatus debere uti cappa pontificali coloris propriae Religionis, et renuentem opportunis remediis coercendum. n. 1035 die 12. Jan. 1636.

Vd.: *Archiepiscop. religiosus.*

b) Officium.

Episcopum regularem debere Officium recitare et divina officia celebrare juxta ritum suae Dioecesis, non vero sui Ordinis. — Occurrente una eademque die festum alicujus Sancti Dioecesis et alterius Sancti Ordinis celebrandum esse festum de Sancto Dioecesis. — Capellani ejus, sive regulares sive saeculares sint, qui alterius vicibus cum Episcopo regulari

Officium recitare solent, debent se conformare Episcopo circa recitationem Officii. n. 265 ad 1—3; die 11. Junii 1605.

Episcopum Regularem teneri recitare Officium roman., omisso Officio suae Regulae. n. 903 die 8. Mart. 1631.

Vd.: *Beati.*

33) Reverentia.

Vd.: *Chorus* (reverentia); *Reverentia.*

34) Sanctus.

Vd.: *Sancti*; *Officium rom.*; *Calendarium rom.* (decr. n. 892).

Ad dubium Regularium: An licite celebrari possint Officia SS. Archiepiscoporum, de quibus nihil habetur in Calendario romano seu rubricis Breviarii, omisso Officio de Feria aut de simplici occurrente? S. C. resp.: Licere Regularibus utentibus Breviario romano Officia dictorum Archiepiscoporum celebrare, si eorum festa apud Ecclesiam Mediolan. consueverant per biscentum annos ante Constitutionem S. M. Pii V. celebrari, dummodo non sub altiore ritu, quam quo in eadem Ecclesia Mediolan. recitantur. n. 1389 die 31. Maji 1642.

Officia de Episcopis sanctis locorum possunt continuari de communi, si constat illos fuisse canonizatos vel per tempus immemorabile celebratum fuisse de illis Off. et Missam. S. R. C. 28. Oct. 1628.

De Sanctis Episcopis, qui reperiantur expressi in Martyrologio romano, celebretur Officium sub dupl. min. in civitate et Dioecesi. n. 1883 die 6. Apr. 1658.

35) Suffraganeus.

Vd.: *Suffraganeus.*

36) Thuris impositio in accessu ad altare.

Episcopus sumptis paramentis in *presbyterio apud sedem* non debet imponere thus in thuribulo antequam accedat ad altare. n. 4827 ad 2 die 23. Sept. 1837.

Vd.: *Incensum*; *Episcopus assist. missae sol.*

37) Titularis Canonicus.

a) In Capitulo.

Per praeeminentiam in sedendo debitam Episcopo tit. Canonico non est in sedendo praejudicatum Primicerio in recipiendo vota Canonicorum capitulariter congregatorum quoad capitulares resolutiones, jura convocandi et similia, quae pertinent ad Primicerium. n. 2648 ad 4 die 12. Aug. 1673.

Cum Capitulum congregatur in peragendis capitularibus negotiis sedentibus Dignitatibus et Canonicis in suis stallis, expleta propositione, elevantur quatuor de Capitulo, quorum primus est Primicerius, et Secretarius capituli elevatur, consistunt in medio cum sedibus coramine cooperitis; Primicerius legit vota, Secretarius scribit; et praetendente Episcopo tit. Canonico intervenire ac sedere in prima sede ex illis positus in medio, idem Episcopus Canon. hoc facere non potest nec debet. n. 2648 ad 6 die 12. August 1673.

Vd.: *Episcopus Administr.*

b) Celebrans.

Ad Episcopum titulare Canonicum per praeeminentiam in sedendo non spectare peragere functiones proprias Primicerii, quas prius agebat, ut primus in choro. n. 2648 ad 3 die 12. Aug. 1673.

c) **Habitus, locus in choro,**
Praeced.

Vd.: *Episcop.*, (praeced.); *Pax Episcopi Titular.*; *Canonici* (parati assist. etc. decr. n. 3976); *Capella Episcopalis*.

Ratione Episcopatus Episcopum posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est, Rocchetto supra Subtanam et Mantelletto violacei coloris et debere praecedere omnibus aliis Canonicis ejusdem Ecclesiae et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit et servatur Romae simili casu eveniente in tribus Ecclesiis Patriarchalibus s. Joannis, s. Petri et s. Mariae Majoris. n. 546 die 15. Julii 1617.

Episcopo titulari (Coadjutori deputato) qui in eadem Ecclesia Calaritana Canonicalum oblinet, in Choro, Capitulo, processionibus aliisque actibus supra omnes ejusdem Ecclesiae Dignitates et Canonicos praecedentiam debere. n. 606 die 13. Novb. 1621.

Eisdem praerogativis gaudere debet Canonicus Neapol., Episcopus Titularis, quibus gaudent Canonici, qui sunt Episcopi tam in Basilica s. Petri, quam in caeteris Basilicis de Urbe, qui praesunt caeteris Canonicis, etiam antiquioribus et fruuntur quavis majori praerogativa, non solum in choro, recipiendo primas antiphonas sed in Capitulo et quovis alio loco, ubi convenire contingit. n. 2608 die 3. Decb. 1672; n. 2629 die 6. Mart. 1673; n. 2648 die 12. Aug. 1673.

Episcopus Oropiensis, Canonicus Cathedralis Majoris, praecedere debet supra omnes Dignitates et Canonicos ejusdem Cathedralis. n. 2955 die 7. Junii 1687; n. 2982 die 18. April 1682.

Petro Francisco Episcopo Lacedemoniae Suffraganeo et Auxiliario Archiepiscopo Hispalensis S. R. Congr. demisse supplicante declarari:

An ipsi uti Archidiacono et Cano-

nico Ecclesiae Metropolitanae Hispalensis liceat ingredi Chorum et Capitulum cum superpelliceo et habitu Canonicali?

S. eadem R. C. censuit:

„Teneri incedere cum habitu Episcopali. n. 3666 die 24. Novb. 1703.

Episcopus tituli. Canonicus facit fructus suos, quando in solemnioribus functionibus Archiepiscopi non sedet in loco canonicali primus super caeteris sed relicto suo stallo canonicali transit ad locum separatum, sedens inter alios Episcopos . . . perfunctorie existentes, solitos interesse in dietis solemnioribus functionibus. n. 2648 ad 5 die 12. Aug. 1673.

Episcopo titulari Canonico debetur praecedentia in omnibus actibus supra Primicerium, ubicunque convenire contigerit. n. 2689 die 14. Apr. 1674.

Episcopum tituli. Canon. Neapolitanae non lucrari distributiones, nisi assistat in stallo canonicali. n. 2689 die 14. Apr. 1674.

Vd. *supra decr. n. 2648*.

Ad dubium: 1. An dum Ep. tit. Choro assistit uti Praepositus prima Capituli Dignitas retinere debeat primum Stallum?

2. An in Processionibus, ut suae Praebendae competentes fructus percipiat, necesse sit ut cum suo Capitulo incedat omnino occupans digniorem locum?

3. An in iisdem Processionibus possit interdum incedere post Sacerdotem deferentem SSmm. Eucharistiae Sacramentum, quin tamen de propriae Praebendae fructibus participet?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Ad 1. „Affirmative“.

Ad 2. „Affirmative“.

Ad 3. „Affirmative“.

Atque ita rescribendum rata est, ac ex aliis etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 4—6 die 23. Sept. 1848.

MEDIOLANEN.

Reverendissimus Praesul Franciscus Maria Zoppi, qui, Sanctissimo annuente, Episcopatum Massensem dimisit, in eo est, ut potiatur Canonicali superioris Ordinis in Metropolitana Mediolanen. Ecclesia, et ne in hoc novo munere aliquid detrahat Episcopali Dignitati ac vanitatis notam devidet, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna dilucidatione proposuit, nimirum:

1. Quenam Sedes, vulgo Stallo, sibi competat in Choro, in quocunque Capituli congressu, et quando sibi cum eodem Capitulo publice procedendum est?

2. Quenam habitum gerere in Choro, quemnam in publicis Supplicationibus aliisque Sacris Functionibus, quemnam extra Chorum, quum privatam personam agit?

3. An teneatur in sua hebdomada Missam et Vesperas canere seu celebrare, aliaque singulariter peragere, ad quae tenentur Canonici ejusdem Ordinis in sua quisque hebdomada?

4. Et quatenus teneatur, an Sandaliis, Dalmaticis, Mitra, Baculo pastoralis, Cruce et similibus Episcopo competentibus uti debeat?

5. Quatenus vero non teneatur, vel sibi liceat a praefatis Hebdomadarii Officiis se abstinere, an distributiones amittat, quamvis Choro cum ceteris Canonicis interfuerit?

6. An debeat Archiepiscopo Solemnia agenti assistere, ministrare, aliaque praestare, quae ceteri ejusdem Ordinis Canonici de more eidem praestant?

7. Quum autem Orator minime ignoret a ceteris ejusdem Ordinis Canonicis aegre ferri Episcopum e gremio ejusdem Capituli vestes et caligas coloris violacei et quidquid aliud Episcopalem Dignitatem referat in Choro eorumque congressu gestare,

et quomodocumque se ab ipsis distinguere, ac proinde non nullis abhinc annis duo ejusdem Capituli Canonicos, a Summo Pontifice Episcopos in partibus renuntiatos, locum, quem antea in Choro habebant, et in quovis Capituli congressu retinere, et Missas et Vesperas aliasque Functiones in sua hebdomada, nulla adhibita Indumentorum aliave distinctione, ceu reliquos Canonicos hebdomadarios celebrare consuevisse, seque dumtaxat a Supplicationibus publicis Episcopalis honoris ergo abstinuisse, distributiones tamen amittendo, ac si culpabiliter minime interfuerint, obsequentissime postulat: An teneatur, vel saltem sibi liceat huic consuetudini se conformare in omnibus, aut quanam in parte?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub signata die coadunata, referente infrascripto Secretario, attentis expositis, ac singulis rationum momentis serio examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. et 2. „Ratione Episcopatus posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est Rocchetto supra Subtanam et Mantelletto violacei coloris, et debere praecedere omnibus aliis Canonicis et sedere in primo Stallo supra omnes ut in Compostellana diei 15. Julii 1617“.

Vd. *supra decr. n. 546*.

Ad 3. „In Missis de Turno abstinere, et subroget alium ut in Asciana diei 10. Aprilis 1728; in Solemnioribus cum Indumentis Pontificalibus, sed de licentia Episcopi“.

Ad 4. „Jam provisum“.

Ad 5. „Quoad primam partem jam provisum“.

Negative quoad secundam partem.“

Ad 6. „Tenetur sedere in Choro cum Pluviali“.

Ad 7. „Negative in omnibus.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit die 16. Martii 1833 n. 4709.

MEDIOLANEN

Eminentissimi e Reverendissimi Signori. Francesco Maria Zoppi Vescovo di Gerra e Canonico Ordinario della Metropolitana di Milano coll' ultimo articolo della sua supplica dei 5 prossimo passato Aprile non solo dimando all' Eminenze Loro Reverendissime, se tenuto fosse, ma ancora se gli fosse almeno lecito de seguire la pratica tenutasi presso questo Capitolo Metropolitano dai Monsignor Canonici Vescovi Gallerati, e Scotti, con che dimostro bastantemente la sua disposizione di conformarvisi, che poi comprovo anche col fatto avendo preso il possesso, e la residenza del suo Canonico giusta la pratica suddetta prima che gli pervenisse il Rescritto dell' Eminenze Loro Reverendissime colla data dei 16. Marzo corrente.

Onde venendo a conoscere che cio sarebbe conforme anche al volere di questo Eminentissimo Arcivescovo, supplica umilmente l'Eminenze Loro Reverendissime di volergli permettere che tenga l'anzidetta pratica, specialmente quanto all' Abito, ed allo Stallo, e pel resto cio che di concerto col medesimo giudicheranno stabilire in riguardo ad Carattere Episcopale. E poi che la data del 16 Marzo del suddetto Rescritto dietro Supplica dei 5 Aprile del Ricorrente, diede luogo a sinistre suspitioni, e dubiezze, supplica percio col piu profondo ossequio l'Eminenze Loro Reverendissime, che si degnino rattificare la data istessa, e dichiarare, che il Rescritto suddetto non é potuto arrivare a notizia del Supplicante, che dopo l'epoche del Possesso, e della Residenza del suo Canonico preso l'uno ai 29

prossimo passato Aprile, l'altera ai 4. successivo Maggio. Che ec.

Milano 9. Agosto 1833.

Humillimis hisce precibus a subscripto Secretario relatis in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitibus ad Quirinale hodierna die habitis Eminentissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Serventur Decreta hujus Sacrae Congregationis de praecedentia Episcopi Titularis, et scribatur Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Mediolanensi ad mentem.“

Die 17. Augusti 1833. n. 4716.

Eme. et Rme. Domine Obsme.

Praecipua res gravissima ad hanc Sacram Rituum Congregationem nuper allata apprime nota Eminentiae Vestrae has litteras dirigendi praebet occasionem. Titularis Episcopus Franciscus Maria Zoppi obtento Canonico istius Ecclesiae Metropolitanae, quum jam pridem Episcopali Dignitate esset ornatus nonnulla Dubia proposuit enodanda, quibus responsum fuit juxta Decreta alias a priscis temporibus emissa. Quo super facto omnis est removenda suspicio, ac pro certo habendum sincere et innocue eundem se gessisse. Mos enim invaluit apud Sacras Congregationes, quum supplices porriguntur Libelli, quorum postulata et materies nihil novi discutendum offerunt ac decisiones antea actas respiciunt, illis rescribi sub datum diei Congregationis praecedentis, licet post aliquot dies atque etiam mensem preces receptae fuerint. Id ipsum evenit in praesenti casu. Et quidem si Eminentiae Vestrae libuerit ipsa responsa cum adductis Decretis conferre, statim res omnis liquido patebit, ad ingenuitatem probitatemque Episcopi Canonici dignoscendam.

Attamen quum ad eundem re-

sponsa pervenissent post adeptam Canonici possessionem, majori pressus angustia, dum refragari timet Sacrae Congregationis Decretis, vel abnuere Capituli studiis, iterum Sacram Congregationem adivit postulans: Num ad vitandam quamlibet controversiam sibi liceret, posthibitis Decretis, prosequi eodem modo, quo Canonici possessionem fuerat adeptus? Eminentissimi Patres in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione habita die 17. Augusti ad Quirinale, dubia eadem in Eminentiae Vestrae obsequium rursus exponenda curarunt, atque intellexerunt responsa decerpta esse ex Decretis jam dudum editis ab eorum Antecessoribus in Sacra Congregatione, ac Summorum Pontificum auctoritate confirmatis, quibus adhaeret constans omnium Urbis etiam Patriarchalium Ecclesiarum praxis et consuetudo. A veterum itaque Decretorum sensu minime declinare, immo Episcopali characteri ac dignitati consulere (quemadmodum antiquitus statutum fuit) Eminentissimi Patres unanimes censuerunt et id ipsum, expleta per R. P. D. Secretarium Sanctissimo relatione, Eminentiae Vestrae per praesentes officiose nunciare. Sanctitas Sua eidem Secretario audientia sub infrascripta die impertita, omnibus rei circumstantiis perceptis, commendavit plurimum, ut Eminentiae Vestrae per Litteras Sacrae Congregationis mens panderetur; cui Summus Pontifex accedens robur adjungit, atque haec potissimum est, ut auctoritate et eloquio, quo pollet Eminentia Vestra, istius Metropolitanae Canonicos Religione, Pietate ac titulis omnibus illustres hortetur et suadet ad benigniorem animum erga Collegam Episcopum Zoppi induendum et ad Decreta Sacrae Congregationis exequenda, quam a priscis temporibus ab ejusdem Metropolitanae Capitulo saepe de senten-

Decreta authentica.

tia rogatam fuisse constat ex pluribus postulatis et Liturgiae dubiis exhibitis, ipsumque Capitulum libentissime recepisse responsa et solutiones, atque hujusmodi Decretis, tamquam Sedis Apostolicae oraculis, obsequium praestitisse, quod et praestare in praesenti casu, in quo agitur de praecedentia Episcopi in dubium non revocabit, maxime quum praecedentia isthaec proprio istius Metropolitanae Ritui nihil detrahat, quum honor Episcopis exhibendus universam Ecclesiam respiciat: permulta sunt jamdiu lata de Episcoporum praecedentia Decreta, atque hujus constanter servatae praecedentiae in Capitulis Urbis et vetera et recentiora extant exempla; adeo ut si contigerit Episcopali Dignitate insigniri Sacerdotem aliquem ex coetu in stationibus inferioribus Chori sedentium, verbi gratia inter Beneficiarios, statim superius ascendat, et Praelatitio habitu indutus, Crucemque pectoralem gestans et ante Canonicos locum obtineat, ac in solemnioribus Functionibus, in quibus Capitulares Sacris utuntur indumentis, Pluviali ac Mitra ornatus assistat. Hoc in primis servari Basilicis Patriarchalibus Urbis compertum est, a quibus totius Orbis Christiani Ecclesiae exempla desumere in pretio habent. In ipsis enim Patriarchalibus Basilicis augustissimas Functiones per annum peragit Summus Pontifex, qui ideo ab excelso Apostolico Solio omnia, quae ad cultum Ritusque Sacros pertinent, ob oculos habet, et Ecclesiasticae Hierarchiae gradus omnes in suo conspectu propriis decoratos insignibus circumstantes intuitur. Quapropter exoptat Sanctitas Sua tam laudabilem morem servari a celebri istius Metropolitanae Capitulo, cujus perspecta habet erga Sedem Apostolicam devotionis et obsequii argumenta. Ac pergratum accipiet conciliatis animis, Episcopum

Titularem Canonicum Zoppi praecedentia fuisse donatum, quod quidem turbare nequit peculiarem istius Metropolitanæ Ritum, ac decet Episcopalem Dignitatem, et cum praecedentia eidem restitutam conscientiae quietem, nec non amissa emolumenta, quam ipse abstinerit a Choro veritus Sacrae Congregationis perfringere Decreta, quae ubicumque floret Catholica Religio, servantur ac recoluntur.

Haec omnia Eminentiae Vestrae significare me oportuit, ut Sacratissimi Principis mandata perficerem, et Sacrae Congregationis mentem communicarem, quod sedulo adimplens Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor. Romae 23. Augusti 1833. n. 4716.

d) Incensatio.

Episcopum titular. (ut Canonicum assistent.) esse thurificandum post exercentem Officium Presbyteri assistentis et Canonicos in throno assistentes. n. 3976 ad finem die 10. Apr. 1728.

In Wratislaviæ. sub die 13. Aug. 1763 sancitum fuit, ut Ep. Suffraganeo praesenti in Choro etiam si non sit Dignitas Capituli, competat thurificatio tero ductu absente proprio Ep. Dioecetano; quaeritur: an haec dispositio valeat etiam pro Canonico Ep. non suffraganeo?

Emi. vero ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescribendum censuerunt:

„Juxta consuetudinem“.

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. n. 5000 ad 6 die 7. Decb. 1844.

38) Translatus.

Vd.: *Consecratio Episcopi* (annivers.; dies, decr. n. 4119).

39) Visitator.

Vd.: *Benedictio; Rocchettum; Mantelletum; Episcopus* (praeced.); *Visitatio; Episcopus* (accessus primus); *Episcopus* (celeb. in aliena Eccles. decr. n. 5216).

In *janua Hospitalis* Episcopum Vigevanens. Visitatorem posse exercere omnia illa munia, quae debentur Episcopis in actu visitationis, nimirum: osculatio Crucis, thurificatio, habitus pontificalis et alia hujusmodi, non tamen esse permittendum, umbellam erigi in Ecclesia Hospitalis, cum ibidem non debeat neque Missas neque Vesperas celebrare, sed tantummodo visitare et rationes exigere. Caeterum standum esse clausulis in literis apostolicis contentis. n. 2495 ad 3 die 5. Octobr. 1669.

EPISTOLA.

1) Cantatur a quo?

Vd.: *Subdiaconus*.

Ad dubium: An in Ecclesiis Collegiis illis diebus ferial., in quibus cantatur missa convent. vel votiva a solo Celebrante sine s. Ministris, sit cantanda Epistola a Clerico eidem Missae inserviente vel ab uno ex caeteris presbyteris Beneficiatis in habitu clericali tunc temporis in choro residente? S. C. resp.: Epistolam canendam esse ab aliquo lectore superpelliceo induto. n. 3416 ad 1 die 30. Mart. 1697.

Ad dubium: An extra casum necessitatis possit permitti a Superioribus, ut Canonicus constitutus in minoribus Ordinibus cantet Epistolam in Missis solemnibus paratus absque manipulo? S. R. C. resp.:

Negative, et Episcopus curet abscindere consuetudinem tam in Cathedrali quam in Collegiata; videlicet extra casum absolutae et praecisae necessitatis non posse a Superiore permitti, ut Clericus in minoribus pro

Subdiacono suppleat in Missis solemnibus paratus sine manipulo, et pro hujusmodi effectu per Episcopum abscindendam esse consuetudinem tam in Cathedrali, ubi Clerico etiam extra casum necessitatis permittitur, se parare pro Subdiacono sine manipulo, quam in Collegiata, in qua induci vellet, ut Canonicus Clericus ministret pro Subdiacono sine manipulo, existentibus aliis Canonicis Diaconis et Presbyteris, ad quos de jure spectet supplere vices Canonici Clerici in Officio Subdiaconi. n. 4418 ad 1 die 18. Decb. 1784.

Data necessitate posse permitti, ut deficiente Subdiacono pro missa solemnem possit per Superiores substitui constitutus in Minoribus ad cantandam Epistolam absque manipulo. n. 3477 ad 18 die 5. Julii 1698.

2) Cant. in Ordinatione.

Vd.: *Subdiaconatus; Evangelium* (Oseul. Episcopi in Ordin.)

Ad dubium: An in missa, in qua uni tantum confertur Ordo Subdiaconatus, debeat promotus Subdiaconus cantare Epistolam, ut fit in Ordinationibus general.? S. C. resp.: *Negative*. n. 3774 ad 3 die 27. August. 1707.

3) Ubi cantatur?

Consuetudo cantandi Epistolam in Choro in pulpito tollenda non est, retinenda, cum sit antiqua. n. 15 ad 1 die 16. Mart. 1591.

4) Legit Episcopus.

Ad dubium: An Episcopus palmas benedicens et missae assistens debeat legere Epistolam et Evangel.: „*Cum appropinquasset*; vel: *altera autem die*“ post Passionem vel utrumque? S. C. resp.: *Negative* tam ex praxi

Capellae Pontificiae quam ex praescripto Caerem. Ep. n. 3786 ad 1 die 28. Apr. 1708.

Vd.: *Episcopus ass. miss. sol.* (Evang. non legit.)

EPISTOLA PASTORALIS.

(*Episcopi Administr.*)

Ad dubium: An Epistolam pastorem sive latino, sive vulgari sermone conceptam commisso in administrationem gregi Ep. Adm. dirigere possit?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„*Negative*“.

Atque ita rescribendum rata, ac ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 1 die 23. Sept. 1848.

SS. EUCHARISTIA.

Vd.: *SS. Sacramentum*.

S. EULALIA.

Vd.: *Vesperae dimid.* (decr. n. 4878.)

S. EUPHEMIA.

Vd.: *Antiphona in festo s. Euphemiae*.

S. EUSTACHIUS.

Ad dubium: An de s. Eustachio m. patrono principali et titulari Ecclesiae colleg. fieri debeat Off. dupl. de comm. pl. mm. cum octava, prout ab immemorabili servatum fuit vel potius de comm. un. m., prout disponitur in rubricis?

S. C. resp.: Servandas esse rubricas Brev. rom. et non obstante quacunque consuetudine in contrarium etiam immemorabili Off. s. Eustachii tamquam de principali et solo patrono loci et titulari dictae Ecclesiae fieri debere de comm. un. m. absque commem. aliorum, qui transferri debeant ad